

(4)

DISSE^TRAT^O INAUGURALIS MEDICA,
SISTENS
OBSERVATIONES PRACTICAS
DE
ARNICAE
VERAE USU,

QVAM
FAVENTE DIVINO NUMINE

ET
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE CONSENSU,

PRAE^SIDE

DN. D. MICHAEL ALBERTI,
POTENTISS. REGIS BORUSSIAE CONSILIARIO AU-
LICO, MEDICINAE ET PHILOS. NATURAL. PROFESSORE
PUBLICO ORDINARIO, ACAD. CAESAR. NAT.

CURIOS. COLLEGA,
FACULTATIS MEDICAE DECANO SPECTATISSIMO,
PATRONO AC PROMOTORE SUO SUMMOPERE
DEVENERANDO,

PRO GRADU DOCTORIS
SUMMISQUE IN ARTE MEDICA HONORIBUS, INSIGNIBUS AC
PRIVILEGIIS MORE MAJORUM SOLENNI OBTINENDIS,

Horis ante - & pomeridianis

ANNO M DCC XIX. D. XXXI. AUG.

PUBLICAE VENTILATIONI SUBMITTET

AVCTOR ET RESPONDENS

GEORG AUGUST DE LA MARCHE,
GVELPHERBYTANUS.

HALAE MAGDEB. LITTERIS HENDELIANIS. 1744.

1727
SCHLESWIG-HOLSTEIN
BIBLIOTHEK

HAQ
LIBRARY
UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARIES

BRITISH LIBRARY

BRITISH LIBRARY



DISSERTATIO MEDICA
DE
HERBA ARNICA VERA.
PROOEMIUM.



Eri ac probi Medici officium in eo
primario contineri, ut calamitati-
bus & miseriis, humanum genus
post lapsum vexantibus, occurre-
re, machinamque imbecillem cor-
poream, ad labefactionem & cor-
ruptionem summe proclivem, con-
servare studeat, id vere haud facile
quisquam in dubium revocabit.
Quis enim est quem innumere illæ noxæ lateant quique
illarum plane expers remanserit? aut quis non agnoscit
quam luculentum sit beneficium quod in hominum ge-
nus, ad propulsandas illas & salutem restituendam, a Me-
dicis prudentibus & rerum suarum satagentibus profici-
scitur? Non injuria igitur magnus ille fenex Hippocra-
tes, de Medici officio & dignitate differens, opera ipsius
sancta illumque divum appellat, dum *Libr. de Lege* ait:
τοι δὲ ιεροὶ ἔόνται πεύγματα ιεροῖσιν αὐθεώποι συδείνυνται, βεβή.

A 2

λοιστ.

Λοιοι δὲ ὄνδεμις. Ex quibus verbis, immo fere ex toto hoc libro, elucet existimatio Medici, tum ratione Subjecti, tum vero etiam objecti. Prudentissimus Auctor plurimos in insula Co Medicinam professos accusat tanquam viros ad artem hanc, cum digno fructu & existimatione exercendam, ineptos, a quibus cavere debeat, cuicunque salutis & vita cura inest. Propterea cautos esse in eligendo Medico jubet, quod major illorum pars potius fama, quam re ipsa Medici existant, & simul eorum, qui veri Medici haberi debent, notas & signa proponit, de quibus conferri debet perspicuus locus *Libr. de Vet. Med.* Sunt ex iis, qui Medicine operariuntur, alii vites, alii longe præstantes; quod sane non est, si neque medicina, neque in illa observationes effent, nec quicquam inventorum existaret, sed omnes æqualiter ejus ignari & inexperti essent, & per fortunam omnes agrotorum res gubernarent. Nunc vero res non sic se habet, sed quemadmodum aliarum artium opifices multum inter se differunt, tum manu, tum mente; sic etiam in Medicina. Non indigere puto hæc verba ulteriori illustratione mea, dum perdocte & eleganter illa enucleavit Excellentissimus D. D. Hoffmannus, Præceptor & Patronus meus summe venerandus, in Dissertatione de *Differentia Medici & Medicinae Praædicti*. Requiritur ergo secundum Hippocratem genuinus artis filius, singula, quæ ad artem salutarem pertinent, animo complexus, & in usum convertere edoctus, nam de omnibus, qui sibi pulcrum Medici nomen arrogant, tanta encomia proferre injustissimum foret. Verum enim vero cum ars Medica sit nobilissima, omnibusque mortalibus saluberrima, non defunt tamen, qui maculam illi adspergere, præstantiæque detrahere contendunt. Videtur autem hoc, de Medicina iniquius judicium ferentes, non tam in ipsa arte comprehendere, quod accusent & reproben, quam si occupati quidem essent, & juste omnia pensitarent, in suo errore,

rore, quod eligere, quibus valetudinem suam permittere
 secure possent, non didicerunt, sed, qui vulgarium inge-
 niorum mos est, potius ad hominum de Medico opinio-
 nem speulant, & falli se externa specie patiuntur, quam
 merita cuiusvis aestimare curant. Tantum enim abest,
 ut omnes quos vulgus admiratur & aestimat, quosque
 fortuna multis opibus & honoribus ornavit, ideo veri
 atque eruditissint Medici, ut potius tam pulcrum nomen
 minime mereri multos illorum vere dici possit. Sed
 hoc odiosum est, neque mei officii, nec aetatis meæ, ne-
 que loci hujus, ulterius de hac re agere. Accedunt
 ad hoc duo illa extrema, in quæ Medicorum multi
 prolabuntur, unde criminandi artem aliqui ansam acci-
 piunt, quum tamen hominum, artem professorum cul-
 pa minime deberet in artem innoxiam transferri: Puto
 autem illam Medicorum satis notabilem & apertam diffe-
 rentiam, quod illorum aliqui, vel illis hypothesisibus, qui-
 bus innutriti sunt, velut saxo adherent, tanquam praeter
 has doctrinas nihil in orbe boni inventum ac propaga-
 tum esset, aut inveniri post haec posset; aliqui moder-
 atiores, ut videntur, ideoque eclectici, ut vocari volunt,
 in acerius examinandis, & ad populum cum ostentatio-
 ne subinde refutandis aliorum opinionibus rigidiiores &
 fere dixerim imprudentiores, dum cogunt alterum sua
 malefice defendere, & adversariorum coarguere, effi-
 ciane, ut apud imperitos totius Medicinæ existimationi
 detrahatur, tanquam tota ars, ut haruspicum & augurum
 decreta, incerto niteretur fundamento, quod Bernhar-
 dinus Ramazzinus, illud Italæ Medicorum decus, pecu-
 liari oratione latius ostendit. Aliqui demum, tenuita-
 tis forte sua conscientia, ubi semel praxin ingressi sunt,
 parum de novis inventis & incrementis solliciti, quid
 in foro eruditorum Medico & Physico agatur, secure
 negligunt, dum tralatitiis schedis, ad Pharmacopœum

ab ægro mittendis, satis se instructos esse existimant, & interim lucro corrardendo & reisfamiliari procurandæ unice intenti vivunt. Quemadmodum autem minime vituperandum esse judico, si quis illa, quæ a doctis Präceptoribus accepit, tamdiu accurate sequitur, donec aliqua necessitas evidens ipsum urget, veritatis cauſa disceſſionem facere: ita ſollicitam ac moderatam hypothetum explorationem & cum aliis comparationem appri- me neceſſariam atque publico utilem exiftimo, fi ab il- lis instituatur, qui ſubſidiis, ad hanc dijudicationem ne- ceſſariis, instruēti ſunt, & vere querunt, ex tot excellen- tiffimorum virorum, qui per omnes mundi angulos inſervire communibus utilitatibus ſtudent, laboribus & inventis ſolidum fructum percipere, & perceptum et- iam cum aliis comi.unicare. Quantum itaque laudari & amari merentur, de quibus ante dixi, & quam levis eſt culpa, quæ in excessu a nonnullis committitur, tan- topere accusandum eſſe puto posterius Medicorum ge- nus, quibus merito apprecciamur, ut circumſpectiores & diligenter aliquantum redditi in attendendis phæ- nomenis circa universæ artis magnum campum contin- gentibus, in colligendis fidis obſervationibus, & inde formandas conclusionibus versari mallent, quæ vel ni- hil vel aliena agendo vitam ignavam tranſigere. Quo- modo enim quæſo, incrementa doctrinæ illi capient; aut potius qui fieri potest, ut non excidant illo doctri- nae fructu quæ olim industria comparaverunt, quum animorum illa ſit conditio, quæ corporum, quæ viri- bus deſtituuntur & languescunt, ubi illo alimento, quo ſuccreverunt, deſtituuntur. Illamque ſane animorum agitationem illud continuum ſtudium & verbiſ Hippo- crates Medico commendavit & exemplo, quippe obſervationibus condendis per omnem ſuam vitam dedi- tissimus. Sed viles animæ id negligunt, & nec ipſi quid vident

vident ac didicerunt, annotant, nec ab aliis posteriti
ti commendatas observations diligent cura versant,
evolvunt, examinant, imitantur. Hæc mihi Disserta-
tionem de Arnicæ veræ usu in lucem emissuro & speci-
minis inauguralis loco exhibitulo, in animum venerunt
præfanda. Quicquid enim præter illa, quæ jam alii ante
me de hac planta ejusque viribus edocuerunt, adferen-
da nunc inveni, id ex observationibus enatum est, quæ
vel amici mecum communicarunt, vel ipse in artis qua-
licunque exercitio spectare, & ad usum reponere potui.
Ut vero hæc conatum meorum primitiæ feliciter ce-
dant, supplex invoco sub ipso statim exordio fontem
& originem vitæ, directorem rerum humanarum, velit
suo numine adesse inceptis, illaque ita dirigere, ut ali-
quid inde utilitatis in publicum redundet.

§. I.

Observationes itaque practicas de usu herbare Arnice medico traditurus, antequam me ad illas
accingam, opera pretium fore existimo, non
nulla circa ejus plantæ denominationem & di-
versas species prælibare, quo postea eo magis eluceat
de qua planta nobis sermo sit. Retinuimus autem ex
variis nominibus, quibus hæc planta insignitur illud,
quod apud nostrates Practicos maxime in usu est. Pa-
rum curamus quo forte nomine apud Veteres hæc plan-
ta venerit, & utrum omnino illi aliquam Arnicæ noti-
tiam vel egregiarum virtutum ejus cognitionem habue-
rint. Meminit quidem Plinius hist. nat. Libr. XXII, 16.
plantæ cuiusdam a Minerva indicate, eujus usu quidam
ab arce templi Atheniensis delapsus, sanatus & in inte-
grum restitutus fuerit. Diceres hanc a Dea virgine vo-
catam Parthenium herbam esse ipsam nostram arnicam:
Sed

Sed ipse Plinius dubios nos reddit, vel ab hac sententia potius divellit, dum sideritidis speciebus illam accenseret, & folio similem Ocimo pronunciat, nascique in tegulis assert, quæ singula in Arnicam nostram minime quadrant. Si quoque recentiorum in botanico studio curiositati satisfaciendum est, & genus plantæ indicandum: declaramus nos illam plantam nunc intelligere, quam *Tournefortius in Insit. rei herbar. p. 487.* sub Doronico refert, & *Doronum plantaginis folio, alterum C. Baub. appellat.* Adeoque est planta flore radiato semen pappis instrutum habens & foliis ex adverso nascientibus praedita. Sed descriptionem inferius latiore rem dabimus.

§. II.

Differunt autem magnopere Autores botanici in nominanda, siveque quasi familiæ adsignanda hac plantæ, quippe *Franciscus Iol LX. P. X. Seß. V. Buphtalmum, Simon Pauli cum Dodoneo Chrysanthemum latifolium nominant: alii Alisma, nardum celticam, Asterem luteum, Damalonium, Plantaginem vel Calendulam Alpinam & quid non aliud vocarunt, adeo diversis nominibus illam Botanici vendunt, ut vix de viribus invenias, quantum de nomine disputatur.* Quam multi vero sunt in illa Onomatologia, vix tamen effecerunt, ut hæc plantæ, haud ubivis obvia, in officinis plerisque genuina & vera exster, quod cuius inquirent facile patet, qui veræ Arnice notas perspectas habet. Nihil itaque mirum, si Practici parum forte efficaciam ex vulgari illa Arnica videntes; minorem fiduciam illius conceperint & ab usu crebriori abstinuerint. Extiterit demum in Germania, qui usum Arnicæ a plebe, quæ optime illum passim novit & exercet, edocet, scriptis hanc plantam publice celebrarent, ejusque veros Characteres exprimerent. Inter hos primas obtinet *Ioh. Mich. Febris*, qui hanc laporum

psorum panaceam demonstravit. Successit vir quidam experientissimus, qui Auctorum Medicorum Berolinensium primo Volumini suas de efficacia Medica herbae Arnicae inseruit. Horum vestigia e longinquo securi constituimus quedam cum Medicis communicare, quæ nobis vel ex Amicorum fida relatione, vel ex propria experientia innoscunt. Ita autem versabimur in hoc negotio ut tædiosa repetitione dictorum superfedeamus & festinemus ad illa, quæ scopo nostro indicato inserviunt.

§. III.

De Arnica igitur postea dicturus, consentaneum de vera sermonem habere, quam Auctor Berolinensis Plavensem vocat, a loco natali ut putamus in Vogtlandia. Hinc enim ut & ex Bohemiae viciniæ silvis & montibus huc fere etiam defertur vera Arnica. At vero non est quod putemus breviori intervallo non adesse Arnicam. Sic recordamur vidisse quondam apud Exper. D.D. Schulzium Arnicae Manipulos, quos in confinio Ducatu Magdeburgici prope pagum Colbitz, tribus milliaribus a Magdeburgo in Septentrionem remotum, ipse colligerat. Eodem teste percepimus in Silvestribus Marchicis locis & quibusdam ad Albim tractibus non adeo infrequentem esse hanc herbam, & rusticorum crebro usu sèpissime adhiberi. Vidimus etiam Arnicam collectam ex Harciniis silvis meæ patriæ, quæ spem in praxi non penitus destituit, et si me copia Bohemicæ Arnice instructum, plurima experimenta hac perfecisse haud difiteor.

§. IV.

Amat vero hæc planta loca uliginosa, non nimium humida, nec Soli plane aperta, & vix in flores assurgit, nisi mediocriter umbra tegatur. Crescit agminatum, & vix deprehendes, quin in vicinia plures videas: procul du-

B
bio,

bio, quod pappo instructa, matura semina a ventis disperguntur & in novas plantas germinant, sed subinde videoas inter mille plantas in aliquot passuum spatio vix decem flores tibi colligenti offerri. Annotarunt curiosi collectores non quovis anno æque largum esse provenitum florū: ut sepe insignis sit illorum raritas, ubi altero anno maxima fuit abundantia. Poliorum aliqua est cum plantagine latifolia convenientia, sed præter id quod angustiora & longiora sunt, facile etiam agnosciur differentia ex colore dilutiori & superficie paululum hirsuta. Quamprimum in canalem abit, convenientia magis exspirat quippe caulis cubitali longitudine crescens, foliis binis ex adverso stantibus ornatus & tandem in tot ramos, quo flores prolatus est, abit. Flos admodum speciosus est, & ad fulvum auri colorem proxime accedit, dum recens est. Semiflosculi qui coronam constituunt circa basin in tubulum rotundum abeunt, & ibi se instar crinum ostendunt. Mirum est, quam facile flos recens decerpitus papposus fiat, si vel brevi tempore ad exsiccamandum reponatur. Reliqua, quæ ad faciem plantæ designandam afferre possem, talia sunt, ut melius ea comprehendas, si oculis plantam inspicias presentem, quæ ex longo sermone intelligas.

S. V.

Quod Pharmacopæi pro Arnica offerunt, non omnibus in locis idem est. Berolinensis observator notat, quod in suo tractu in officinis proftet pro Arnica Aster luteus, Conizæ quædam species, quam Suedensem appellat, quoniam circa oppidum Marchiæ Sued. in pago Arensfelde copiose illa crescit. Forte aliis in locis alio aberratur modo. In Brunsvicensi tractu Arnica ex Harciniis silvis collecta paſſim apud Pharmacopolas proftet. Viſus autem sum mihi in Bohemica odo-

rem

rem fragrantiorē & suaveolentiorē quam in Harciniā, quod exinde etiam contingere potuit, quod studiosus forte adservata illa & recens fuit collecta. Optandum sane est, ut singuli Pharmacopole non solum genuinam plantam in suis officinis asservent, sed etiam ut singulis annis novam sibi comparent copiam, tum denique ut seorsim herbam & flores conservent, cujus rei rationes inferius patebunt.

§. VI.

Accedo nunc ad inquirenda principia nostri medicamenti activa, quibus suam in medendo efficaciam, tam conspicuam exserit. Hæc autem potissimum consistere videntur in tenuioribus Salino-resinosis particulis, & in hoc cum alexipharmacis quibusdam convenientiunt. Quod vero hæc planta salinas plurimas possideat, prodit effectibus indubuis probata virtus stagnantem & coagulatum sanguinem resolvendi, & per varia emunctoria energetica natura operatione eliminandi. Sulphureo-Resinosas quadammodo exferere, ostendit emesis imo lenis evacuatio per alvum, quæ aliquando contingere observantur, & patet ex relatione & observatione Præfici cuiusdam, remotis crudioribus terrestrioribus particulis, i. e. legitima Extracli præparatione, efficaciam balsamico-relaxantem manere, quæ quidem tonice subadstringenti, quam plures illi tribuunt, admodum foret contraria. At vero eam inesse huic plantæ & certa quidem proportione, facile concedam, cum in omnibus vegetabilibus principia hæc deprehendere liceat: nolumus tamen illud nobis sumere, ut & proportionem horum principiorum accurate indicare & modum operandi Arnica hinc penitus derivare studeamus. Nimis enim in investigandis simplicium elementis hæsiamus, & possunt sane effugere nostram industrias

B 2

multa,

multa, quæ specificam eorum indolem constituant. Et certe si ulla est planta quæ specifico modo operatur, & succurrat parti lœsæ, hæc certe est, quam objicere illis possemus, qui dubitare audent, utrum re vera dentur specifica. Quicquid sit de virtute emetica, ideo tamen non opus est, ut tam libere inter emetica cum *Chr. Job. Langio Arnicam* referamus, cum certe plures Decocto Arnicæ sanentur, qui ab illo nec vomunt, nec nauseant. Testatus mihi est, quem supra laudavi Exper. D. D. Schultz, se vidisse hominem sanum, qui experimenti causa Decocto Arnica eo modo, quo lapsis exhibetur, utebatur, nec inde ullum dolorem ullam nauseam habuit, tantum absit, ut vomitu corruptus sit. Si homini male affecto, contuso exhibeas, sentietis maximos circa partem affectam cruciatus, & in quibusdam, ubi naturæ commoda hæc evacuatio visa est, vomitus, in aliis sinceri sanguinis per partem torsam, si illa pertusa fuit, effluxum, in aliis alvi fluxum, & sudores copiosiores observabitis. Adeoque nihil perpetui ab hac planta exspectes; prater id, quod lapsis salutem, si modo ulla speranda est, afferat.

§. VII.

Tactis igitur principiis nostri medicamenti tempestivum puto ad illud nunc procedere, cui *Dissertatio titulum* debet, nimirum, ut *observationes* tum ex propria experientia collectas, tum vero ab aliis Præticis mecum communicatas, recenseam. Abhinc enim duabus annis, cum *Excellentissimum quendam Præticum Halensem*, cuius fidem ac dexteritatem digne satis efferre haud potero, in *Praxi* sublevarem, Herba Arnica ex Bohemia quantitas mittebatur, una cum observationibus quibusdam; ex quibus patebat, quod præcipue in casu ab alto, contusionibus, partium contractura, egredi

gii esset effectus. Animum inspirabat nobis hæc res, ut
ulteriori & sollicitæ indagationi vires Medicamenti hu-
jus committere statueremus. Et ex illo quidem tem-
pore nullam prætermisit tum ille, tum ego etiam occa-
sionem, qua experiendo in his confirmari possemus.

§. VIII.

Ante vero quam illas quas ipsi vidimus observatio-
nes, in medium afferamus, non immerito quosdam Ca-
sus, a Practico illo communicatas, premitimus. Quo-
niam ipsis fide secure niti licet, nec quare illos hic in-
serere verear, ullam rationem videmus. Fœmina 56.
annorum temperamenti Sanguineo - Melancholici, cum
concionem sacram frequentare sibi propofuissest, para-
lysi artuum & linguae infestatur, & penitus muta euadit.
Multæ Medicamina fuere hic adhibita, tanto etiam suc-
cessu, ut loquela aliquantum rediret, & lento gradu
procedere posset, in lectulo tamen decumbere pluri-
mum cogebatur. Refrigeratio aderat insignis hypochon-
driorum & artuum, anxietas, inquietudo noctu diuque,
& ex levissimo externo frigore crispationes & tensiones
temporum. Rebus ita comparatis ordinabantur Pilulæ
Stahlianæ per tres dies, hisque præterlapsis Infusum flo-
rum Arnicæ per idem temporis spatum. Quæ metho-
dus cum per 3. septimanas ita alternatim esset servata,
patiens in integrum restituebatur. Fuit hæc in illa pe-
riodo annorum, qua sanguis ob exitum ordinarie im-
peditur, varia, ex variis procatharticis causis pathe-
matæ, procreare potuit, cum plethorica quidem esset,
sed respectu Temperamenti strictiores vias haberet, a-
nimique passionibus dedita esset, ut artificialibus sanguini-
nis imminutionibus & evacuationibus maxime egeret.
Consultissimum ergo fuit Pilulas huic resolventi con-
jungere, quo materia mobilis redditæ eo melius excerni
posset,

posset, hystericasque motibus, hac & tate contingentibus obviam iretur.

§. IX.

Idem exhibuit de vidua mensium suppressione laborante observationem, cui febris accessit, cum doloribus & magna hypogastræ duritie, adeo ut incurvata & impeditius incederet ob retractionem pedis dextri. Quidam Medici pro motibus febrilibus affectum unice habuere, & hinc illos esse profligendos putavere; sed frustra fuit omnis medicatio. Exinde igitur ex coagulo sanguinis symptomata hæc provenire inter illos conveniebat, eaque de causa adhibebant Arnican cerevisæ incoctam, subordinato usu Essentiaæ Alexipharmacæ Excellentissimi D. D. Stahlii, & Emplastræ saponatæ: Barberette, quod regioni dolenti applicabant, illo sane successu, quem exoptaverant.

§. X.

In pertinaci partium contractura eodem eventu datam fuisse Arnican idem adseverat, quod etiam magna cum delectatione ipse expurus sum. Admiratione vero digna videtur circumstantia illa, hic attendenda, quod nimur in tali casu planta cum toto ordinari debet, si effectum salutarem exspectare velis. Nolo hic multum disputare de eo, quam vere adseratur, diversas plantarum partes diversas possidere virtutes, quod quidem absolute negari minime posse videtur: Verum cum circumspectio hæc utilitate haud caret, quippe experientiaæ subnixa, possimus sane in eo cum certi fructus exspectatione tuius obsecundare experientiaæ, quam propterea, quod rationem propriam nondum assequimur, periculum frustraæ spei subeamus, præsertim cum omnium specificorum illorum agendi certus modulus non adeo clare patet. Exulat sane hic illa cogitatio de virtutibus radicis concentratoribus; contrarium enim

enim elucet ex talibus casibus, in quibus flores vel herba sine radicibus desideriis satisfecere. Sufficit hanc inde utilitatem solum demonstrasse, quod necesse sit in officinis herbam & radices simul asservare, id est integrum plantam, quantum illius, dum recentem & florentem invenis, manu prope infima folia admota, ex terra potes extrahere, cum adhuc plerique nihil nisi flores scriniis suis exceperint.

§. XI.

Liceat nunc subjungere quæ de Arnica usu mecum communicavit D. D. Schulze, cuius verba ad me per scripta inseram. Quum in patria nuper degarem, incidit inter alios sermones mentio cujusdam vetulæ octuagésimum iam annum supergressæ, cuius in propinando Arnica Decocto valde laudabatur dexteritas, ut e vicinia plures ad illius domum ventitarent, qui sibi ordinari illam petebant. Adii illam & omnem ejus artem percunctorando expiscabar, quod mihi nunc est jucundius, quoniam non longo post tempore subitanæ morte e vivis crepta fuit. Intellexi autem ex illa, covenire hoc Decoctum & a se propinari, quum aliquis lapsus & quoconque modo contusus esset: quum quis subluxationem passus esset, quod vulgo vocant das Wehethun oder Verbrechen: quum quis a gravi iracundia male haberet, & denique in morbo lateralí. Ex alia causa se nunquam propinasse, sed in dictis affectionibus nunquam optato successu destitutam fuisse. Fatebatur, quod multi testes comprobabant, non longo post haustum Decoctum tempore exsurgere vehementissimos dolores & cruciatus, ut multi velut insani unguibus suis parietes vel pavimentum radant, sed hunc fere esse felicis evens præ sagium, & vix ultra hora dimidium savire tam sensibiles dolores. Mitius plecti illos, qui non decumbe necesse habuerunt, sed post haustum Decoctum obam-

obambulant, observatum est. Audita tam sœvorum dolorum commemoratione coepi querere, an non plures sub tali curatione expirent. Responsum tuli, quod alii affirmantibus eo magis credo, ex tot hominibus, qui singulis annis hoc Decoctum utuntur, neminem mortuam ab illo esse, præter unum rusticum, qui proprio consilio illud sibi præparaverat, & pro ordinaria dosi integrum manipulum assumerat. Ipsa autem mihi præmonstravit parandi Decoctum hanc rationem. Sumit integrum plantam & pro ratione xatis & roboris numerando plantas dosim dimeritur. Quibus minimam porrigeare animus est, pro his tres adsumit integras, cum foliis nempe caule & floribus plantas: pro robustioribus quinque decoquit. Nempe minutim concisas in ollam novam conjicit & cerevisie tenuis vel secundariæ libram unam superfundit. Ollam operculo bene aptato munitam, & circa commissuras linteo madido probe convoluto, leni igni adponebat, sicque per horæ dimidium decoquebat, sollicite cavendo, ne quid inter bullendum efflueret. Tum patiens quam calide potest hoc Decoctum haurit. Quibus laterali morbo detentis, hoc Decoctum parabat, his adjiciebat tenues grossulariæ ramos. Illud etiam singulare videbatur & mihi admirandum, quod fœmina adfirmabat, homini sano nec a se enumeratis morbis vexato, nullos dolores, nihil molesti inferre Decoctum: quumque videret, me vix habere dictis fidem, protinus aliquem ex suis nepotibus juvenem induxit, ut me præsente paratum Decoctum eberet, in quo nihil sane observavi, quod alterationem vel minimam ostenderet. His ego viis ab illa copiam aliquam Arnicae experti quo ipse possem vires illius experiri. Semel Halæ contigit salutari cum successu exhibere famulæ nobilis feminæ, quæ cum ægrotantem dominam sola in alium locum transferre vellet, nimio onere

onere tantopere afflita erat, ut cum gravissimo dolore decumberet, nec se loco movere vel convertere valeret. Quum multa sine successu tentasset & sanguinem reiicere inciperet, ad me misit. Cui ego cum Arnicam dedissem, & adhibendi modum edocuisse, mox advolavit nuncius animam agere ægrotam clamans. Bono animo esse jussi & cito illam adibam & ipsam de lecto solam surrexisse & a doloribus immunem invenio, ut ad consueta munia redire possit.

§. XII.

Ne vero in recentendis aliorum observationibus amplior sim, converto me ad illas, quas ipse in Praxi habui expertas ac probatas, eo tempore, quo laboribus Exper. D. D. Junckeri, Med. Practici Halensis, sublevandis me addixeram. Arnica usus dum nobis innocuerat, specifice & primario commendabatur in contusionibus & casu ab alto, quæ calamitas, cum frequenter occurrat, accidit, ut brevi temporis spatio tres insignes casus, medicamenta virtutem probantes, experiremur. Primus erat in mercenario fodiendis aquæductibus addictus, hic a terræ dehiscentis illapsu adeo obruebatur, ut præter caput nihil promineret, fasciis propterea ex hac ruina extractus, lipothymiis effectus, ut mortuus apparebat. Sentiebat anxietates summas & pressiones præcordiorum cum eructationibus, singultu & vomendi conatibus, deinde sanguinem largiter expuebat. Afferebantur ex officina flores Arnicae, quæ Decocti forma Patienti exhibebantur: loco sperati auxili, deteriorem reddebant effectum & ita permanentem; (quamvis non rarum sit patientes male se habere assumto decocto) attamen cum de nostra Arnica, vera illa Bohemica, dosis una vel altera illi propinaret insignem brevi tempore sensit levationem, ut tertio die domicilium nostrum ipse frequenter & prosperi effectus testem se exhiberet. Consideratu

C

ratu dignum in hoc casu fisto, quam necessarium sit veram speciem propinare, dum altera sinistrum prodiderat eventum. Illud etiam notabile, quod nostra Arnicæ effectu non emetico, sed resolvente, per universi corporis ambitum operata fuerit. Benevolæ enim natura sanguinem stagnantem in viis, jam autem per vomitionem ejecerat, nihilque forte restabat, quod per has vias eliminare proficuum iudicaret, factum hinc est, ut loco ulterioris vomitus aliam induixerit virtutem. Fieri etiam solet, præsertim in casibus recentibus inque ehemeritis, ut herba nostra plerumque hic emetice agat, atque hoc pro certo habendum indicio in primis viis & ventriulo sanguinis grumosi copiam refedisse, neque vero violenter impetuofequere hic agit, sed omnia placide & tranquille prodeunt, ita, ut eliminata materia, nihil sinistri exspectandum sit.

§. XIII.

Post hæc nobis oblata fuit occasio, qua specificum lapsorum probatum vidimus in seruo quodam, scrinii declinatione in pectus admodum contuso, & puella quadam a techo domus delapsa. Hi prætermisis aliorum auxiliis, nostrum statim efflagitabant. Cum itaque unicuique florum Arnicæ cum herba pj propinaretur, brevi restituebantur, ut præter colorem cœruleum in quibusdam contusi corporis partibus, nihil conspiceretur, qui vero præterlapsis aliquor diebus disparebat. Arnica vero in his casibus emesis excipiebat, ita ut coagulati sanguinis insignis copia eliminaretur, præcedentibus anxietatibus & eructandi conatibus, pro subsecuturæ emesos prodromis potius, quam malis symptomatibus habendi. Patientes interim plenarie convalescebant, & nos visitabant.

§. XIV.

Quum me postea loci mutatio a consuetudine laudissimi

tissimi viri averteret, herbae quantitatem mecum abstuli, quam data occasione in experimenta ulteriora impenderem: bono certe fato, cum se tot mihi occasionses ad experiendum Arnicæ usum offerrent, ut illa non nisi ægerime carere potuissent. Offendebam statim Virum, qui ab equo delapsus magna inde sentiebat incommoda, fuerat enim equus diu corpori immoratus, & mole sua tantopere illum oppreserat, ut fere respirare amplius haud posset, laborabat inde Dyspnoea, sentiebat praecordiorum anxietates, vomendi conatus cum tussi sicca, Hectorum haud dissimili, languore per totum corpus affligebatur. Cum antea fuisset sanus, neque alia addeßent causæ, quibus symptomata hæc adscribi possent, non dubitabam auxilium petenti, Medicinam lapsorum, arnicam exhibere. Desiderabat simul Effentiam Solarem, Halensem, dulcem cognominatam, quam abhinc 2 annis simili casu probatam se vidisse adseverabat. Cum plura ab ipso effectu & Medicinæ effectu requirerem, non aliud, quod mihi responderet, habuit, præter unum illud se penitus enerxatum, & a viribus destitutum fuisse, continuo autem hujus Medicinæ usu appetitum, & vires sibi esse redditas. Dum itaque tonico effectu Medicinam semel juvise intelligerem, anxie illam denuo effigiranti recuare non poteram. Postea illum non vidi, ab aliis vero perfectam eius restitutionem exploratam habeo: degebat enim in agro, ubi domesticis rebus operam navans, urbem raro frequentabat. Insuper hoc fere pro restitutionis indicio habendum est, quando Patientes implorato Medici consilio, ad illum non redeunt.

§. XV.

Quo vero in aliis etiam affectibus herbae nostræ præstantia emineat, casum nephritici calculosi proponebam. In hoc tentabam, illam adhibere, experientissimi cuiusdam Viri observatione fretus: spe tamen dubia.

C 2

Cum

Cum enim tot Autorum monumenta pervalet, neque quidquam de usu in tali negotio traditum inventrem, neque experientia propria hanc virtutem antea comprobata habeam, non poteram non inter spem & metum hærere. Casus erat sequens: Vir 46. annorum, Temperamenti Sanguineo-Cholerici, levis ad Melancholicum inclinantis, laute & otiose vivebat, vino animique passionibus deditus, vectura & equitatione frequenter utebatur, a quibus tamen non levem exacerbationem sentiebat. Is horrore per totum corpus corripitur, alvus est adstricta, urina pauca & tenuis, deinde crassior & rubicundior, fabulosa materia & filamentis intermixta: dolor præcipue in regione lumbari sinistra aderat, deficiebat somnus & ciborum appetentia. Ventilations sanguinis erant neglectæ, nihilque, quod alias præservandi scopo adhibetur, in auxilium tractum. Multa medicamina alio tempore patienti fuerant propinata, inter haec Salia volatilia variæ generis & diuretica fortiora, parum tamen levaminis adserentia, ut miser & bene exorciatus vir in opinionem incideret, esse sua tempora malo indulgendi, quibus deserviat, spem esse, omnia sponte ad meliorem & tranquillum statum reditura. Ego cum in hoc loco minime Medicum agere decrevissem, ob amoris tamen & conscientiae debitum nitebar illum in aliam viam redigere. Ordinabam itaque Clysterem emollientem cum multa Veronica, lacte & oleo, pauxillo Salis: quem altero die reperendum jubarbam, & pulveres temperantes, resolventes Nitrosos, ex Nitro purificato, antimoniat, lap. 69. citrat, Cinnabari & MP. de Cynoglossa pauca quantitate, cuius pulveris singulis binis horis illi dosim propinare suadebam, denique Decoctum Arnicæ cum herba & radicibus illi parabam, quæ medicatio divina annuente benedictione Patienti insigne levamen adserebat, mihi vero egregiam

giam delectationem: illi enim post exiguum tempus præterlapsum rebus domesticis interesse, & ad consueta redire licebat. Quo vero pauca de medicamenti operatione pateant, illam plurimum diureticam fuisse observavi, patiens vero ab ejus usu non male se habuit, quemadmodum ab Arnicæ usu plures alii conquesti sunt. Neque enim insolitum est, quod patientes afficiantur dolore ab arnicæ usu, quod tremorem artuum persentiant, huncque perpepsi, bene se habeant, adeo, ut dolorem hunc pro certo subsecuturæ levationis indicio habere conveniat. Ceterum ab illo discedens commen-davi Venæfctionem, tanquam remedium præservatio-ni maxime idoneum, una cum Pilulis balsamicis laxan-tibus, prohibita vehementi equitatione & concussione corporis, quibus hucusque adsuetus fuerat, neque mi-nus, ut ab animi exacerbationibus sibi temperaret, ma-gnopere inculcavi.

§. XVI.

Posset hic quidam & non sine ratione regerer, fe-licem effectus hujus solutionem medicamento nostro haud posse tribui, cum præterea fuerint exhibita alia me-dicamina: huic vero præter alias ex praxi depromtos casus parallelos nihil respondere potero. Exploratum enim habeo ab aliis, in nephritis effectibus Arnicæ so-lius præstantiam satis fuisse exploratam ac probatam, hac tamen differentia, quod in quibusdam dolores, in aliis vero minime procreaverit, sequente utrobiique tamen euphoria. Ex quo elucet, illam opinionem infirmo sta-re tali, quod effectus salutaris nullo antecedente dolo-re minime exspectandus sit.

§. XVII.

Nec prætermittenda est hac occasione necessaria illa circumspetio, flores una cum herba in hoc effectu re-quiri, quam adsercionem tum ex Practici cuiusdam lit-

C 3

teris,

teris, tum propria inquisitione veram esse deprehendi. Ille enim cum experiendi causa in hoc casu solos flores adhiberet, nullum usum notavit, donec herbam anatica portione immisceret, quam singularem observationem minime negligendam esse existim^a.

§. XVIII.

Postea dedi hoe simplex mulieri, quæ de doloribus arthritico spasticis anxie conquerebatur. Menses abhinc 2. annis cessaverant, a quo tempore incommoda hæc persistit, quo simul vita, quam degebat sedentaria, multum conferebat. Suasi Venæfectionem in pede, subiunctis Pilulis Stahlianis per tres dies, que quidem in tantum mitigabant affectionem, ut dolores aliquantum remitterent: sed spastica illæ compunctiones remanebant, donec Arnicae Decoctum in auxilium vocatum esset.

§. XIX.

Facere nullo modo possum, quin hic referam insig-
nem casum militis cuiusdam, qui de punctiōnibus lateris
sinistri insigniter conquerebatur. Duraverat per inte-
grum annum, quod materia fuit per intervalla ejēcta, se-
roso-purulenta, persentiebat fere semper insignem dolo-
rem circa p̄cordia, & materiam sep̄issime cum sono sese
manifestabat. Externe nihil conspiciebatur, neque tu-
mor insignis, neque aliud præternaturale in conspectum
veniebat. Varie hic miser a Chirurgis jam erat vexatus,
qui omnes in eo conveniebant, ut emplastris maturan-
tibus, attrahentibus res perficeretur, tentaverant etiam
id variis sane modis, quibus vero omnibus nihil profe-
cere. Quare is homo relictus ab omni Chirurgica me-
dicatione auxilium Medicum implorabat. Dabam illi Ar-
nicæ pugillos duos, in cerevisia lupulata decoquendos,
& futuræ restitutionis spem mihi injiciebat non exiguam,
dum materiam ejici deprehendebam fēmīcōram, puru-
lentam, manantem, ut in illis solet, qui salivatione utun-
tur,

eur, putabam propterea non exiguae utilitatis fore materiam mobilem jam factam, penitus removere, atque e corpore eliminare, propinabamque in eum finem secundam Arnicae dosin, effectu vero a priori longe discrepante. Nihil neque ω neque $\pi\alpha\tau\omega$ exernebatur, patiens de doloribus & anxietatibus pectoris conquerebatur, nauseam vomitientis animadvertebat, vomitu rati men non succedente. Durabat hic paroxysmus per 24. fere horas & quod medicamentum pessimi fuerit effectus, vulgus suspicabatur, brevi vero temporis spatio sententiam mutare cogebantur, vivit enim ad hunc diem sanus, nec pristini mali vestigium appetet. Quæ causa hunc hominem in hanc calamitatem deduxisset, sollicitus inquirebam, neque tamen inveni aliam, quam quod patiens reminiscebatur, se ante annum febre catarrhalis laborasse, quæ vero mox fuerit soluta, ab eo tempore vero artuum dolores & pressiones praecordiorum remansisse.

S. XX.

Sufficientia hæc observationes: plures enim ulteriori committimus experientia atque inquisitioni, patet usus Medicamenti nostri satis ex adductis. Quoad Dosin ultimo monendum, ad p. i. vel 2. Herbae, aquæ simplicis vel cerevisia lupulata mensuram unam requiri in adultis: majori enim quantitate non usurpatur.

S. XXI.

Sunt, qui ratione menstrui vel vehiculi differentiam statuunt, alii enim infusi formam suadent, alii decoctum propinant. Verum enim vero, quamvis largiter concedam, vires simplicium decoctione magis elici, sufficiens tamen hoc non agnosco pro infusionis improbando usu. Decocta enim fere nauseosa sunt, & quilibet sane medicamenta suaviora, quam nausiosiora reddere innitetur. Si quis pro robustioribus decoctio uti velit,

velit, citius forte defungetur curationis scopo; sed quantum compertum experiendo habeo, jucundius est repetitio infusi usu id per vices impetrare, quod propositum est. At vero Arnicam cum farragine aliorum remediiorum in longam formulam reduci, id non immixito ab omnibus reprehenditur, qui certas simplicium virtutes addiscere; & iis mederi agrotantibus consueverunt.

§. XXII.

Observarunt etiam nonnulli, regimen in usurpando medicamine esse tenendum; ulteriori inquisitioni committo, quod ab aliis notatum fuit, dolorem illum salutarem subsequi, si patientes assumto medicamento lectum querant, ibique sudorem exspectent, sed cum annotatum fuerit, illos, qui decoctum bibunt, decumbentes acerbius dolere, in iis, qui ambulare possunt, suaserim hoc remedium dolores mitigandi non adeo negligere. Finem itaque hic Dissertationi impono, gratias humillimas DEO O. M. persolvens, qui omnia in curationibus cum Arnica institutis ita direxit, ut optatus ubique successerit

F I N I S.



Halle, Diss., 1719
(A - G)

ULB Halle
006 535 038

3



VB 18

Retro ✓



B.I.G.



Farbkarte #13

DISSESSATIO INAUGURALIS MEDICA,
SISTENS
OBSERVATIONES PRACTICAS
DE
ARNICAE
VERAE USU,

QVAM
FAVENTE DIVINO NUMINE
ET
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE CONSENSU,

PRAESIDE
DN. D. MICHAELE ALBERTI,
POTENTISS. REGIS BORUSSIAE CONSILIARIO AU-
LICO, MEDICINAE ET PHILOS. NATURAL. PROFESSORE
PUBLICO ORDINARIO, ACAD. CAESAR. NAT.

CURIOS. COLLEGA,
FACULTATIS MEDICAE DECANO SPECTATISSIMO,
PATRONO AC PROMOTORE SUO SUMMOPERE
DEVENERANDO,

PRO GRADU DOCTORIS
SUMMISQUE IN ARTE MEDICA HONORIBUS, INSIGNIBUS AC
PRIVILEGIIS MORE MAJORUM SOLENNI OBTINENDIS,

Horis ante - & pomeridianis
ANNO M DCC XIX. D. XXXI. AUG.

PUBLICAE VENTILATIONI SUBMITTET
AVCTOR ET RESPONDENS
GEORG AUGUST DE LA MARCHE,
GVELPHERBYTANUS.

HALAE MAGDEB. LITTERIS HENDELIANIS. 1744.